

Die Urkunden Karls des Großen, 135

Carolus gratia dei rex Francorum et Langobardorum et patricius Romanorum omnibus episcopis abbatibus ducibus comitibus actionariis vel reliquis fidelibus nostris tam presentibus quamque futuris. Maximum regni nostri in hoc augere credimus munimentum, si petitionibus sacerdotum vel ancellarum dei, in quo nostris auribus fuerint prolate, libenti animo obtemperamus adque in dei nomine ad effectum perducimus, regiam inquit exercimus consuetudinem [et hoc nobis] ad remedium anime nostre pertinere confidimus. Quapropter conpertum sit omnium vestrum magnitudini, qualiter Radoara abbatissa ex monasterio [domini] Salvatoris in Brixia clementiam regni nostri petiit, ut omnes res, quas moderno tempore iuste et rationabiliter ipsud monasterium possidere videtur, sub emunitatis nomine confirmare deberemus, quatenus nullus iudex publicus ibidem ad causas audiendas vel freta exigenda seu mansiones vel paratas faciendum nec fideiussores tollendum nec nullas redibutiones publicas requirendum iudiciaria potestas quoque tempore ingredi nec exactare penitus non presumat. Cuius petitionem pro divino intuitu denegare noluimus, set ita prestitisse adque in omnibus confirmasse cognoscite. Precipientes enim iubemus, ut nullus quislibet de iudiciaria potestate tam in curtes vel rebus supradicti monasterii, quas nunc tempore legitimo ordine possidere videtur, ad causas audiendas vel freta exigenda seu mansiones aut paratas faciendas vel fideiussores tollendos neque nullas redebutiones publicas requirendas ullo umquam tempore ingredi nec exactare nullatenus [presumat], set sub emunitatis nomine cum omnes fretos concessos valeant rectrices ipsius monasterii quietas vivere et resedere, quatinus die noctuque pro nobis uxoreque nostra etiam prole valeant domini misericordiam iugiter exorare. Et ut hec auctoritas firmiter credatur, manu propria subter eam decrevimus roborare et de anolo nostro subter iussimus sigillare.